

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

## **Dissertationem Inavgvralem De Consensv Fevdali**

Iena: Litteris Fickelscherrianis, [1728?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876601042>


Druck    Freier  Zugang





K.K. - 2 (56.)





DISSE<sup>R</sup>TATIONEM IN AVGVRALEM  
DE  
**CONSENSV FEVDALI**  
ADSPIRANTE DIVINA GRATIA <sup>121</sup>  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
**VVILHELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE WESTPHALIAE QVE ET RELIQA  
EX DECRETO ILLVSTRIS ICC. ORDINIS  
IN ACADEMIA SALANA  
SVB MODERAMINE  
**CASPARIS ACHATHII BECKII, D.**  
IVRIVM PROFESSORIS PUBLICI ORDINARI<sup>I</sup> CVRIA<sup>E</sup> PROVIN-  
CIALIS SAXONICAE NEC FACVLTATIS IVRIDICAE  
ET SCABINATVS ASSESSORIS SPECTATISSIMI  
PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE CONSEQUENDI HONORES  
ET DOCTVRAE PRIVILEGIA  
IN AVDITORIO PUBLICO  
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM SOLENNIBVS  
AD D. IVNII CIOIO CCXXVIII  
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI  
SVBIICIT  
AVTOR  
**IOH. DAVID SPALDING**  
GVSTROVIO - MEGAPOLITANVS.  
IENAE LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.



DEO  
TER OPTIMO MAXIMO  
RERVM HUMANARVM STATORI SAPIENTISSIMO  
ET  
SERENISSIMI  
**DVCIS MECKLENBURGENSIVM**  
**REGNANTIS**  
PATRIAE PATRIS DOMINIQUE SVI LONGE CLEMEN-  
TISSIMI  
**COLLEGIIS DVCALIBVS**  
AD DIRIGENDAS POLITICAS AEQVE AC ECCLESIASTICA  
CAVSAS VTROQVE IN DVCATV ATQVE INTEGRAM  
PER PROVINCIAM CLEMENTISSIME CONSTITVTIS  
LONGE EMINENTISSIMIS  
VNIVERSIS ATQVE SINGVLIS  
NEC NON  
INCLVTAE DVCALIS SEDIS ET CIVITATIS  
**GVSTROVIAE**  
PATRIAE SVAE CHARISSIMA  
PATRIBVS CONSCRIPTIS

V I R I S

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMIS PRAENOBILISSIMIS  
CONSVLTISSIMIS AMPLISSIONIS PRVDENTISSIMISQVE  
DOMINIS,

**DN. IOH. CHRISTOPHORO VICK**

DICASTERII PROVINCIALIS ASSESSORI DVCALI SENIORI  
PLENDIDISSIMO ET CIVITATIS PATRIAEC CONSULI PRIMARIO  
SVMMIS MERITIS CONSPICVO

**DN. IOH. GVSTAVO STORCHIO**

VTR. IVR. DOCTORI CELEBERRIMO CIVITATISQVE  
PATRIAEC CONSULI LONGE MERITISSIMO

**DN. IOH. PETRO KRAFFTIO**

VTR. IVR. DOCTORI CELEBRATISSIMO DICASTERII  
PROVINCIALIS PROCVRATORI ET CIVITATIS  
SYNDICO GRAVISSIMO

**DN. IOH. DANIELI TROYE**

DICASTERII PROVINCIALIS ADVOCATO ET CIVITATIS  
SENATORI MVLTIS MERITIS FVLGIDISSIMO

**DN. PETRO GRAVMANNO**

DICASTERII PROVINCIALIS ADVOCATO SENATORI  
ET CAMERARIO CIVITATIS DEXTERIMO

**DN. CHRISTIANO KEDINGIO**

CIVITATIS SENATORI SPLENDIDISSIMO

**DN. THOMAE SPALDINGIO**

SENATORI ET CAMERARIO CIVITATIS

PARENTI SVO LONGE OPTIMO

**DN. FRIDERICO BARCKAY**

SENATORI ET IUDICII VRBICI ASSESSORI PRIMARIO

PRAESTANTISSIMO

**DN. PHILIPPO CHRISTOPHORO**

**SCHROEDERO**

SENATORI ET IUDICII VRBICI ASSESSORI GRAVISSIMO

**DN. CHRISTIANO DIETERICO**

**DOSE**

SECRETARIO CIVITATIS MERENTISSIMO

**DOMINIS, RESPECTIVE PATRONIS**

FAVTORIBVS PARENTI COGNATIS AMICOQE ACADEMICO  
AETERNA PIETATIS OBSEQVII ET AMORIS LEGE  
VENERANDIS ET COLENDIS

INAUGVRALEM  
HANCCE SVAM DISPVTATIONEM

# DIVINO QVIDEM NVMINI

CVM HVMILLIMA GRATIARVM ACTIONE PRO COELESTI A PRIMIS  
INCVNABVLIS AD PRAESENTEM VSQVE AETATEM LARGISSIME  
SIBI ADFVSO FAVORE ET ULTERIORIS AVXILI GRATIO-  
SISSIMI DEVOTISSIMA IMPLORATIONE FLEXO POPLITE  
CONSECRAT

SERENISSIMI AVTEM DVCIS MECKLENBVR-  
GENSIVM REGNANTIS

# COLLEGIIS DVCALIBVS

SPLENDIDISSIMIS

CVM DEVOTO INVIDENDAE FELICITATIS ET SALVTARIUM IN  
GRAVISSIMIS NEGOTIIS SVCESSVVM VOTO TENVIVMQVE  
SVORVM STVDIORVM DECENTISSIMA COMMENDA-  
TIONE SVBMISSISSIME DICAT

PATRIAE DENIQUE GVSTROVIAE AMPLISSIMIS  
PROCERIBVS

INTER PRECES PRO SALVTARI VRBIS REGIMINE CVM DEBITA  
RESPECTIVE PATROCINII FAVORIS ATQUE AMORIS  
IPSORVM EXORATIONE OBSEQVIOSISSIME AC OEFI-  
CIOSISSIME DEDICAT

IOH. DAVID SPALDING.

CONFIDAM ET CONFORTAM. ET CONFORTAM. ET CONFORTAM.  
EDERE. EDERE. EDERE. EDERE. EDERE. EDERE.  
AVNGUARIA. ET CONFORTAM.



## DE CONSENSV FEVDALI

### §. I.



Veniammodum ex diverso hominum Rerum alie  
statu atque conditione, distincta na-sunt allodia-  
scuntur iura personarum; eadem les aliae feu-  
quoque ratione varia illa ac prope-dales.  
modum innumerabilia iura rerum a  
discriminata earum natura ac indole,  
vel hominum usu, vel lege inducta, repetenda veni-  
unt. Speciminis loco, ut alia nunc mittamus, esse  
potest decantata illa rerum partitio, quando aliæ di-  
cuntur esse allodiales, aliæ feudales. Quo quidem in  
censu illustrium fere atque nobilium hominum bona  
vniuersim scribuntur; quum ex aduerso tantum non  
omnia plebeiorum prædia vel censitica sint, vel em-  
phyteutica.

### §. II.

Inferioris Latinitatis esse feudi atque allodii voca- De etymolo-  
bula, etiam me tacente intelligit, quisquis priores il-gia feudi &  
allodii.

A. 2

los atque limpidos Romanæ linguae fontes vel primis degustauerit labris. Et suo quidem modo vtrumque illud verbum, a vocula *Od*, Francis, alisque obeuntis solis terrarum partes incolentibus, idem, quod nobis hodie vernaculo sermone, *Gut*, i. e. prædium aut possessionem significante, notionem suam sortitum est. Speciatim vero compositum *All-od*, modo prædium aliquod, ple- no iure possatum, designat, quo pacto ei opponitur *Fe-od*, hoc est, fructuaria quædam atque stipendiaria rei possessio; modo vero *All-od* idem notat atque *Alt-od*, *ein altväterliches Stamm-Gut*, eoque nomine opponitur bonis nouiter adquisitis. \*

## §. III.

*Diuersæ de il-  
larum rerum  
origine sen-  
tentiae.*

De Allodiorum pariter atque Feudorum origine in hunc usque diem inter scriptores vario, ut ita dicam Marte, agitata est controuersia. Et illorum quidem initia ac incunabula, tum ex veteribus interpretibus, tum ex singularibus quibusdam locorum consuetudinibus nonnulli ita exposuere, ut hæc effinxisse potius, quam detexisse ac patescisse videantur: similiter nihil est a beneficiarii iutis doctoribus magis indagatum, ac minus deprehensum, quam vera origo feudorum. Eam enim in his rebus noctem vetustas atque superiorum sæculorum barbaries offudit, ut omnibus datus sit disputandi locus. Quapropter mi-

\* Vid. SCHILTERVS, in Comment. ad Rubricam Iur. Feud. Alemann. §. VII. HERTIVS, de Feudis Oblatis, Parte I. §. 2. Excell. DN. PRAESES, in, de Paribus Reipubl. Ministr. & Va- fall. iuribus, Tractatu, cap. XI. STRAVCH. de Oppig. Imp. c. VIII.

rum non est, tot sere hac parte deprehendi scriptorum effata, diuersaque enunciata, quot sunt eorum capita. \*

## §. IV.

Ceterum neque hæc plenius excutere, neque *Iura feudi at-*  
*omnes, quæ inter illa vtriusque generis bona interce-* que alodii di-  
*dunt, differentias, oppido multas, euoluere, nostri* *ſindia.*  
 nunc est instituti. De solis enim rebus feudalibus,  
 præsertimque de consensu eorum, quorum interest, in  
 illarum alienationibus, ac dispositionibus circa eas re-  
 liquis, necessario, speciminis inauguralis loco, mihi  
 agendum venit; quamquam hoc ipso etiam nomine ad-  
 modum diuersa sunt rerum allodialium atque feudalium  
*iura.* Plena enim, quæ in illis spectatur propri-  
 etas efficit, ut regulariter quilibet possessor, liber etiam  
 sit suarum rerum moderator & arbiter, istasque sine al-  
 terius consensu in alios transcribere possit; \*\* quod in  
 hisce, i. e. feudalibus bonis, prorsus aliter comparatum  
 esse constat, atque ex iis, quæ sequentur, adparebit lu-  
 culentius.

## §. V.

Super feudi definitione mirum est, quam istius *Feudi super*  
*iuris interpretes dissentiant ac disputent.* Causa iurgii *definitione*  
 in eo maxime consistit, quod alii primæam tantum- *curtanta dif-*  
 modo, alii hodiernam vnice, ob oculos habuerint *fensio.*  
 feudorum indolem; rursum alii conflatam ex omni-

A 3 bus

\* Vid. Excell. DN. PRAESES, citato loco, cap. V. vbi de concilia-  
 tione nonnullarum opinionum disputatur.

\*\* Argum. L. 21. Cod. Mandati.

bus omnium temporum ac gentium institutis proferre definitionem allaborauerint; alii denique inter ea quæ ad feudi formam & essentiam pertinent, ideoque in definitione necessario inesse debent, & quæ ad natura-  
lia eorum, vel accidentaria tantum referuntur, minus curate distinxerint.

## §. VI.

*Nostra expo-  
nitur senten-  
tia.*

Ad evitandos igitur scopulos istos nobis in feudo definiendo vnicē ad formam eius, hoc est, ad principium illud internum, per quod feudum essentiam suam habet, respiciendum erit. Et quemadmodum ipsum feudi vocabulum haud vna eademque venit significatione; quandoquidem modo *efficienter* accipitur, hoc est, pro contractu feudalī, modo *obiectiue*, pro re scilicet in feudum data; modo denique *effe-  
ctiue*, seu pro iure in re feudalī, domino pariter atque vasallo legitime constituto: ita primo quidem significatu feudum generaliter sic definitur: *Quod sit conuentio super utilitate certa rei, alteri sub lege, fidelitatis vasallitica concessa: secundo, quod sit res quædam alteri sub lege fidelitatis vasallitica in utilitatem concessa: tertio, quod sit ius reale, vel domino, vel vasallo in re, sub lege fidelitatis vasallitica concessa, competens.*

## §. VII.

*Fides vasalli-  
tica quid?*

Vasallitica autem, hoc est, certis seruitiis atque operis innexæ fidelitatis, in vnaquaque istarum definitionum propterea nos meminisse oportuit, ut hac ratione

tione feudum ab omnibus iuris figuris, eidem cognatis atque vicinis discriminaretur. \* Ut ilitas vero illa antiquissimis temporibus non nisi precarii habuit rationem; postea naturam vesusfructus induit, in qua etiam fere in hunc diem persistere feuda & beneficia ecclesiastica; quam in rem conferri meretur cap. II. Feud. 23. in fin. vbi expresse per vsumfructum definit feudum Hubertus de Horto: notandumque venit, quod quo magis ab vusufructu absunt feuda, eo magis a propria atque primæua sua indole degenerauerint; quæ quidem metamorphosis hodie in tantum processit, vt sola fere feudi appellatione retenta, res ipsa sensim ad aliquidiorum similitudinem redacta sit. \*\*

## §. VIII.

Vti vero rarissime contingit, vsque adeo a pri. *De Consensu Feudalioris gine ac definitione.*

migenia sua indole desciscere eiusmodi instituta, vt ex præsca illorum conditione nihil maneat reliquum: Similiter ratio consensus feudalis magnam partem ex primæua beneficiorum indole repetenda venit. Ad eius explicationem vt iam propius accedamus, notandum venit, vocabulum *consensus*, vi vocis, idem quasi significare, atque concentus, seu *unio voluntatum*, utroque quidem hoc verbo in actu accepto. Alias nec incommode hac ratione potest definiri consensus, quod sit principium illud actionis humanæ, ex quo huius meritum, vis, atque effectus, aestima-

tur.

\* Vid. IO. SELDENVS, de Titulis Honor. Parte II. cap. I. §. 23.

\*\* HVL'D. AB EYBEN. in Elect. Iur. Feud. cap. I. §. VIII. in not. Dn. de BERGER de fide Vasallitica.

tur. Feudalem autem consensum hoc pacto describimus, quod sit adprobatio eius negotii, quod super feudo suscipitur, ab eo cuius interest, facta.

## §. IX.

*Requisita  
consensus.*

Ad consensum duo cummaxime requiruntur, nimirum scientia & voluntas: quamvis illi opponitur error & ignorantia; huic, vis, metus, & coactio: utique autem dolus. Quidquid ergo obstat vel intellectui, vel voluntati, hoc ipso etiam obstat iudicatur consensui, atque per consequens quoque obligationi. Utque alterutro istorum requisitorum deficiente negotium ab eo, cui hoc detrimentosum est, recte impugnatur: ita si quis dolo malo, hoc est, calliditate, fallacia, & machinatione sua, ad me circumuenientium, fallendum ac decipiendum adhibita, \* consensum meum impetraverit, hujus naturaliter nulla prorsus vis est, aut potestas. \*\* Romanis autem legibus inter negotia bonae fidei, ac stricti iuris, &, quod ad illa attinet, vtrum dolus conuentioni causam dederit, an saltem incidens fuerit, hac parte distingui, tralatitium est. \*\*\*

## §. X.

*Intellectus  
&*

Primum igitur consentire non potest, qui nescit, seu ignorans est. L. 76. de Reg. Iur. L. 48. §. 3. D. de

Furt.

\* Vid. L. I. §. 2. D. de Dolo malo.

\*\* PVFENDORE. de Iure Nat. & Gent. Lib. III. cap. VI. §. 8.

\*\*\* Reiiciunt quidem hanc distinctionem NOOTIVS, de forma emendandi doli mali, cap. III. & VII. & alii: Sed tu vide sis Excell. HEINECGIUM in Elem. Iur. Ciui. ad Pand. Tit. de Dolo malo.

*Furt. L. 2. in fin. Sol. Matrim.* Neque proinde pro consensu accipiendum est silentium ignorantis rem suam geri, et si præsens sit. Quam ob causam, si quis quidem te præsente & tacente negotia tua gerat, sed vel ignores geri negotia, vel id quidem videas, at nescias, ad te ea pertinere, silentium hoc pro consensu non erit habendum, nedum pro mandato, quod consensu constat. Vnde etsi te præsente, sciente ac tacente transigatur, vel sententia inter alios feratur, non tamen id tibi præjudicat, si nescieris rem ad te pertinere. \* Quod si ergo id quoque haud lateat, & taceas, in negotium ipsum quidem consentire videris; sed si error tamen in negotio, eiusve circumstantiis inciderit, non magis ille hic, quam in verbali consensu, præjudicat. Hinc si cognatus cognato, qui ius retractus habet, sciente & paciente, fundum vendiderit vilissimo pretio, & ille tanti venditum esse nescierit, nihilominus retrahendi facultate gaudet. Quam in rem responsum esse testatur illustr. COCCEIVS. \*\*

### §. XI.

Alterum, quod requiritur, est voluntas, quippe *Voluntas.* quæ consensum proxime velut constituit. Hic autem qua haec ratione dicta-  
vel ab ipso, cuius interest, homine declaratur; vel a  
retur? lege, aut eius administratore ac interprete, judice nimurum, certis de causis inducitur. Id circa consensus

B

alius

\* DID. COVARRV. Pract. Qu. cap. 13. n. 7. §. ex quib. verf.  
tandem. ANDR. GAILIVS, Lib. I. Obs. 70. n. 26.

\*\* In Dissert. de Silentio.

alius est verus, alius fictus seu præsumptus. Verus consensus declaratur vel verbis, ore aut scriptis prolatis, vel ipsis rebus ac factis: priore casu dicitur consensus expressus, posteriore tacitus. Fictus autem seu præsumptus consensus est, quando ex æquitate naturali aut ciuii consentire præsumitur, qui vel plane intelligendi volendique destitutus est facultate, vel ipsum quidem negotium intelligit, assensum vero ac voluntatis approbationem, citra legitimas causas, eidem denegat.\*

### §. XII.

*Ad applicatio di-  
ectorum ad  
consensum  
feudalem, hu-  
iusque diuer-  
sa considera-  
tio.*

Hæc hactenus generatim dicta feudali speciatim consensui sineulla difficultate applicari possunt. Quod vero antequam fiat, obseruandum nobis est, spectari hunc posse vel ratione subiectorum, quorum causa in illo, quo de questio est, agitur negotio; vel ratione ipsius rei atque obiecti, super quo disceptatur; vel ratione formæ, in declaratione consensus obseruatu necessariæ; vel denique ratione effectus, & quid tandem consensus feudalis legitime interpositus operetur.

### §. XIII.

*Principium  
generale.*

Consensum feudalem si subiectorum intuitu consideratum eamus, evidentissimum est, omnium approbatione firmandum esse, quod ad omnes spectat, nego-

---

\* Omnim optime differentias consensus taciti & præsumpti monstrauit illustr. THOMASIVS, in Iurisprud. Diuina L. II. C. VII. n. 17. seqq.

negotium. \* Cuius rei ratio ex eo venit repetenda, quod alteri per alterum iniqua conditio non debeat iisferri: quodque adeo consensus ab uno interpositus alteri non possit fraudi esse ac præjudicio. Qua tam en in re meminisse iuuat, communis scholæ monitum esse, referre, vtrum tractetur de caussa communi pluribus vt singulis, siue distributive, an vero quæstio sit de re communi pluribus, vt vniuersis, siue collective spectatis; vt priore quidem casu requiratur consensus omnium ac singulorum, posteriore autem in specie maioris partis suffragia totum confiant negotium, instarque omnium reputentur votorum. Quam in rem facit responsum SCAEVOLA E: \*\*  
*Quod maior pars curie efficit, pro eo habetur, ac si omnes egerint.*

## §. XIV.

Vti vero tantum non vniuersa Germania, qua publico, qua priuato iure regitur feudal is est: ita ex principio superius posito firmissimo consecutionis filo deducitur, ne quidem Augustissimum Imperatorem, vel ex plenitudine, quam vocant, potestatis, de feudis Imperii maioribus proprio ex arbitratu statuere quidquam in præjudicium communis reipublicæ posse. Neque enim Imperium Romano-Germanicum herile est,

B 2

*De consensu  
Curie Imperialis.*

vel

\* Cap. *quod omnes tangit*, XXIX. de Reg. Iur. in Sexto.

\*\* In lege 19. D. ad Municipalem, vbi vide GOTHOFR. DVM, eidemque iunge HARTM. PISTORIS, P. I. Quæst. illastr. XXXVII. n. 1. seqq.

vel patrimoniale saltem, sed legitimum atque ciuile,  
seu, vt cum G R O T I O loquamur, qua negatam alien-  
nandi facultatem, vsufructuarium; propterea que ad pu-  
blicam salutem & conseruationem illius administratio-  
nem adtemperari par est. \*

*De feudis  
maioribus si-  
ne Ordinum  
consensu-  
quit Impera-  
tor statuere.*

Hinc in Capitulationibus Cæsareis cautum. \*\*  
*Wenn auch inskünftige Leben dem Reich durch Todtes-  
Falle oder Verwürckung eröffnet, und lediglich beim fal-  
len werden, so etwas merckliches ertragen, als Churfür-  
stenthümer, \*\*\* Fürstenthümer, Graffschafften, Herr-  
schafften, Städte, und dergleichen, die sollen und wollen  
vñir, die Churfürstenthümer, ohne des Churfürstlichen  
Collegii, die Fürstenthümer, Graf- und Herrschafften,  
Städte, und dergleichen aber, ohne der Churfürstlichen,  
Fürstlichen, auch ( vñ wenn es nemlich eine Reichs-Stadt  
betreffen thut ) Städtischen Collegisrum, Vorvissen und  
Consens, ferner niemanden leyben, auch niemanden eini-  
ge exspectanz oder Anwartung darauf geben. &c.*

### §. XV.

\* Adi CONRINGIVM, de Finibus Imperii cap. XIX. in fin.  
alibique passim. ITTERVM, de Feudis Imp. cap. VI. §. 4.

\*\* Conf. Capitul. FERDINANDI IV. & LEOPOLDI, artic.  
XXX. IOSEPHI. art. XXIX. Augustiss. CAROLI VI. artic. XI.

\*\*\* Mirum sœpe numero visum, sapientissimos Iureconsulto-  
rum, CARPOZOVIVM, STRVVIVM, STRYKIVM, alios,  
contra omnem rationem, contraque certissimam Imperii  
obseruantiam, Electoratus vacantes heic voluisse exceptos;  
quoram tandem error sanctione hac Imperii publica profi-  
gandus fuit.

## §. XVI.

Pari modo ex dictis consequitur, nefas esse Imperatoriae Majestati, feuda Imperii, vel alia bona, sine consensu Ordinum alienare, hoc est, ut ego interpreter, ex nexu communis reipublicæ eximere, & in extraneos transcribere principes. Constat equidem quid super hac re disputauerint summi nominis viri, HERMANNVS CONRINGIVS, & IO. STRAVCHIVS. Ad quos in concordiam reducendos, nescio an faciat distinctio, inter alienationes rerum propriæ dictas, atque infeudationes principibus Imperii factas; quarum illæ quidem etiam ante tempora CAROLI V. vel expressis legibus, vel vsu ac consuetudine, Imperatoribus fuerint interdictæ; in hisce autem illi paullo liberiores ante istud æuum habuerint manus. Certe quod ad prius attinet, euidentissimo nobis est argumento illud FRIDERICI II. Imperatoris, in curia sollemani Herbipolensi, Ao cccc xvi. celebrata, ex consensu principum sancitum: *Quod non liceat ulli Romanorum Regi seu Imperatori, Principatum aliquem ab Imperio aliquo modo alienare, sed oporteat eum omnes Imperii principatus in suo iure & honore illos conseruare.*\* B 3

## §. XVII.

\* Integrum diploma publicæ luci exposuit HUNDIVS, Tom. II. Metrop. SALISBVRG. sub Rubr Niedermunster. Ceterum iunge CONRINGIVM, de Fin. Imp. cap. XIX. STRAVCHIVM, de Oppignor. Imperii. cap. IX. ill. GUNDLING. de cod. argum.

## §. XVIII.

*Capitulatio-  
nis Caroline  
in hanc rem  
verba.*

Vtcunque autem res ante tempora CAROLI V. comparata fuerit, certe ab illius æuo in hunc vsque diem extra omnem dubitationem collocatum est, non solum alienationes omnis generis, verum etiam op-pignorationes feudorum, aliorumque Imperii bonorum, Imperatoribus, citra consensum curiæ Imperialis, h. e. Ordinum & Parium Imperii, negatas esse. Quam in rem facit in primis Capitulatio nouissima, Articulo X. in verbis : *Weiter und insonderheit sollen und wollen wir dem Heil. Rœmischen Reich, und dessen Zugehörungen, nicht allein ohne Wissen, Willen und Zulassen der Churfürsten, Fürsten und Stände semblich nichts hingeben, verschreiben, verpfänden, versetzen, noch in andere VVege verauffern oder beschwieren, sondern uns auch alles dessen was etwan zur Exemption und Abreissung vom Reich Vrsach geben könnte, insonderheit der exorbitirenden Priuilegien und Immunitaten enthalten; vielmehr uns aufs höchste bearbeiten, und allen mæglichen Fleiß und Ernst fürwenden, dasienige so davon kommen, als verpfandete und verfallene Fürstenthümer, Herrschafften und Lande, auch confiscirte und oþn-confiscirte merckliche Güther, die zum Theil in anderer fremder Nationen Hände obngebürlicher VWeisse ervvachsen, zum færderlichsten vriederum darzu zu bringen, zu zueignen, und dabey bleiben zu lassen. &c. vbi in sequentibus etiam de feudis extra Germaniam, præsertimque in Italia sitis, sartis tectis conseruandis, fidem dat Augustus noster.*

§. XIX.

## §. XIX.

Quod de alienatione bonorum Imperii immedia- *Quid iuris in  
torum dictum, idem quoque de transmutatione feu- transmuta-  
dorum ecclesiasticorum in sacerdotalia, vel contra sacer- tione feudo-  
darium bonorum in ecclesiastica, itemque de resigna- rum Imperii  
tione iuris dominii directi in extraneos principes fa-  
cta, intelligendum venit; siquidem nihil hac parte in-  
consultis Ordinibus, eorumque ingratiis statuere Im-  
peratorem posse, certissime constat. Quam in rem  
conferri meretur articulus X. Instrumenti Pacis Westp.  
Osnabr. vbi §. I. dicitur: *Ideo Cesarea maiestas de  
consensu Electorum, Principum, & Statuum Imperii con-  
cedit, &c.* Alibi habetur: *Imperator de consensu totius  
Imperii concedit, vid. §. 6. & 7. cit. art. X.* Aliquando  
etiam dicitur: *Imperator cum Imperio, vel Imperator &  
Imperium &c. vide §. 9. cit. loc. & Instrumentum Pa-  
cis Westph. Monasteriens. §. 72. 73. 78. & 79. \***

## §. XX.

Ab Augustissimo Imperii Capite ad celerrima *An Imp. Prin-  
cipes in alie-  
nazione sua-  
eius membra descensurus, principio ad illam deuoluor quæstionem: an Principes Imperii vel totum principa- rum ditio-  
tum, vel partem eius alienaturi, Imperatoris consen- num Cæsaris  
sum requirere teneantur? Evidem in diuersa sen- consensu  
tentia- opus habe-  
ant?*

\* Add. MAVRITIVS, de Sæcularisatione Bonor. Eccles. cap. VIII. SCHOPPIVS, in Thesauro feud. pract. cap. II. fct. X. obs. 3.

tentiarum castra heic transeunt iuris publici interpretes. Sunt, qui ex eminentissimis Statuum Imperii iuribus, quodve Electoratus, Ducatus, ac Comitatus suos in modum quendam *Autonoeatogias*, cum sublimi territorii iure possideant, & in quibusdam adeo causis parem summis cum principibus habeant potestatem, euincere conantur, nequaquam eos hac parte adstrictos esse ad consensum & adprobationem Imperatoris, sed proprio ex libitu atque suopte arbitratu omnia disponere posse. \*

### §. XXI.

*Diversa Do-  
ctorum iudi-  
cia.*

Ex aduerso haud paucos reperias, qui communia iuris Longobardici placita, II. F. 52, & 55. de prohibita feudi alienatione, ad illustria quoque Imperii feuda sine villa adplicant distinctione, & ad hanc iuris normam, tanquam indubitatam ac fallere & falli nesciam cynosuram, non minus ac cetera inferioris generis beneficia, exigere eadem consueuerunt. Hi igitur diserte tradunt, nefas omnino esse Principibus ac Statibus Imperii, vel ipsum principatum aut territorium suum, vel etiam insignem eius atque notabilem partem, sine expresso consensu Imperatoris, vel prorsus alienare, vel pignoris saltem subiicere nexui. Quod quidam adeo vsque

\* Conf. MERCKELBACH. ap. KLOCK. Tom. I. Consil. II. n. 146, seq. FRANTZKIVS, in Consilio quodam Msto quod per excerpta exhibit STRVVIUS in S. I. F. c. XIV. aph. 29. n. 5. STRYK. de Oblig. feud. consensu munit. c. II. n. 9.

que verum esse contendunt, vt alienationem vel totius feudi Imperialis, vel partis dntaxat, absque Cæsar, tanquam Domini directi consensu factam, ipso iure nullam esse sustineant. \*

## §. XXI.

Mea quidem sententia multum interest, vtrum *Nostræ sententia* de ipso principatu ac territorio, an vero de quadam tantummodo eius parte, quæstio sit. Et ipsius quidem principatus vel comitatus, aut præcipuæ saltem eius partis alienationem, inconsulto Imperatore factam, iuris publici pariter ac feudalnis rationi aduersam esse, vtique persuasum habeo. Ceterum quod ad alienationem vel oppignorationem partis, exempli gratia, præfecturæ cuiusdam, attinet, haudquaquam illustres Imperii vasallos in eas angustias redigendos esse opinamur, vt nihilo maiorem libertatem hac parte, quam alii inferioris ordinis vasalli, vindicare sibi possint. Sane enim indubitatus ille, quo Imperatori atque Imperio deuincti sunt nostri Principes, feudalis nexus, vel ex sola renouandæ Imperialis inuestituræ necessitate, eidemque annexo fidelitatis iuramento, apertissime conspiciendus, haud patitur, vt immensam, nullisque finibus aut limitibus circumscriptam potestatem, eis ad-

C tri-

\* RVS DORFF. in Vindic. caus. Palat. cap. XII. PFEIL. Conf. LXXVII. ZIEGLER, de Iur. Maiest. Lib. I. cap. IV. n. 27. seq. Dn. a SECKENDORFF, P. II. des teutschchen Fürsten-Staats, cap. 3. n. 6.

tribulamus. Rursum sublimis illorum dignitas, & a priscis Longobardorum institutis multis parasangis distincta superioritatis territorialis indoles, non fert, ut contra usum & obseruantiam Imperialem, secundum vero illa indefinite pronunciare valeamus.\*

### §. XXII.

*Quid de consensu illustrium agnatorum?* Quamuis vero Principibus Imperii integrum sit, res quasdam valide oppignorare, etiam non adhibito Imperatoris consensu: alia tamen prorsus ratio est, si de consensu illustrium agnatorum, intuitu quidem feudi veteris, quaestio instituatur. His namque ex pacto primi acquirentis, & prouidentia primi constituentis eiusmodi quæstum est ius, quod neque in totum neque pro parte inuitis, ac non consentientibus, potest auferri. Hi ergo, deuoluto ad se ordinis successorii beneficio, actione successoria feudaliter experuntur, beneficiumque auitum, nullo refuso pretio, nulla contracti æris alieni factæ solutione, a quolibet possidente vindicant. \*\* Quin &, si debitum hereditarium soluerint agnati successores, actione negotiorum gestorum id repetere possunt ab heredibus allodialibus, ut pote emtori vel creditori, rem quidem feudalem.

\* Consulatur omnino IO. GVIL. ITTERVS, de Feudis Imperii, cap. XXIII.

\*\* II. F. 45. ibique interpres. GATL. L. H. Obs. 154. n. 1. STRVV. S. I. F. cap. XIV. aph. 29. C A R P Z. P. II. C. 46. Def. 2.

lem fuisse haud gnaro, ad evictionis præstationem obligatis.

### §. XXIII.

Hæc ita regulariter obtinent. Ceterum non difitemur, dari casus quosdam exceptos, vbi scilicet tione successoris feudalis citra sum consensum a prædecessore contracti. Quo loco in primis remissione habendum est, si per pacta familiarium id actum sit; itemque si ex dispositione primi adquirentis iniunctum successoribus id oneris probetur; porro si feudum non sit ex pacto & prouidentia, sed mere hereditarium; & qui sunt casus generis eiusdem plures: de quibus consulendi in primis sunt CARPOVIVS, de Oneribus vasalli feudalibus; RHETIVS, de Transmissione Territorii; PREGIZERVS, de Obligatione Successoris in Republica; MTLERVIS ab EHRENBACH, in Nomolog. Ordin. Imp. cap. 10; CASP. MATTH. MULLERVIS, de Obligatione successoris feudalnis ex facto antecessoris.

### §. XXIV.

Ceterum quod de agnatis dictum, quin eadem quoque ratione de simultanea inuestitiis intelligendum sit, nulla subest dubitandi ratio. De eo autem queritur: an consensus vasalli possessoris requiratur, vt Ex-vasalli posspectativa, quam vocant, feudalis valeat? Sunt qui sessoris affirmantem sententiam variis stabilire laborant argu-

C 2

mentis,

mentis, in primis que urgunt improbum captandæ mortis alienæ votum; & quod in lege finali *Cod. de Pactis*, statuit IVSTINIANVS: *in alienis rebus, contra Domini voluntatem aliquid fieri vel pacisci, secta temporum nostrorum non patitur.* Adde L. XV. *Cod. eod.* Præterea prouocant ad cap. I. F. XXVII. ibi: *Si quis inuestierit aliquem de feudo sui militis viri Placentini prorsus asserunt, banc inuestituram non aliter valere, nisi eo consentiente, cuius erat feudum.* Conf. pluribus. D. GOTHOFR. STRAVS, *de Iure exspectatiue*, §. XV. seq. D. SIGISM. GOTTLIEB. HILLIGER, *de necessitate consensu vasalli in expectantiam feudi a domino concedendam*, §. XII. seq.

### S. XXV.

*Negans deci-  
sio.*

Verum, licet expediti iuris sit, dominum non posse ius vasallo quæsumum, sine legitima causa eidem auferre, ideoque nefas illi esse, cuiquam *parum* feudi ab altero possessi vel promissionem facere, vel inuestituram, nisi possessor consentiat; quem casum respiciunt, quæ ex iure feudalí Longobardico & Saxonico opponuntur capitula: hoc tamen manifestum & sanæ rationi conueniens est, recte promittere nos aut pacisci circa res nostras in *eum casum*, quo extinctum fuerit ius alteri in eas constitutum. Iam quidem hæc est contractus feudalís natura ac indeoles, ut feudum sub certis in iure expressis eventibus pleno iure reuerti ad dominum debeat. Qua propter nihil quidquam impedimento est domino, quo minus in eiusmodi

modi euentum ius quoddam in re, plenissimo domino ad se pertinente, alteri possit concedere, etiam sine consensu eius, cuius nihil amplius interest, qui que adeo nullo idoneo munitus est ad contradicendum fundamento. Quam in rem clarissime faciunt textus Iuris Longobardici II. F. XXVI. §. 2. ibi: *Moribus receptum est, dominum de fendo militis sui, quod post mortem ipsius ad dominum reuerti sperabatur, in alium militem inuestituram facere posse: qua inuestitura tunc demum capiet effectum, si feudum domino aut heredi suo fuerit apertum.* Compara etiam II. F. XXXV. ibi: *si fecerit inuestituram sub tempore vel conditione, quo feudum sibi aperiatur, valebit inuestitura, etiam sine voluntate vasalli facta:* itemque I. Feud. XXVII. in fin. Ad argumenta contraria respondent auctores paulo ante laudati; quibus adde omnino SCHILTERVM, in doctissimo ad *Ius Feud. Alemann. Commentario, cap. XIX.*

### §. XXVI.

Sed circumscribenda tamen quibusdam limitibus *Eiusdem limitationes.* est propugnata a nobis sententia. Et primo quidem ex superioribus, §. XV. huc repetendum venit, quod virtute capitulationis sue non possit cuiquam expectatiuam de feudo quodam præcipui ordinis concedere Imperator, sine summorum Imperii Collegiorum consensu: utque maioris partis suffragia hac in re pro votis omnium ac singulorum reputantur: ita si non expressam feudi hoc tempore possessor consensus sui fecerit

C. 3.

cerit

cerit declarationem, certe is reliquis accessisse præsumitur. Adhæc usū & obseruantia, vel etiam conuentis pactis inualuisse potest, vt dominus, citra concessionem vasalli possessoris, nequeat vel futuram successionem cuiquam promittere. Inprimis autem hoc casu requirendus erit consensus possessoris vasalli, si non nudam successionis spēm cuiquam fecerit, aut in futurum euentum inuestierit dominus, sed ipsam feudi possessionem vere vel ficte tradiderit: quæ quidem simultaneæ inuestiturae species, adeoque nuda exspectativa pinguior est. \*

### §. XXVII.

*Expectativa-  
rii an requi-  
ratur consen-  
sus.*

Difficilioris inspectionis quæstio videtur, an si princeps alicui exspectatiuam in feudo concessit, ad alienationem vel oppignorationem beneficii, huius sensu opus sit; & annon iste, euéniente successionis casu, feudum alienatum reuocandi ius habeat? Cui vicinum & illud ζητημα: si feudum nouum iure feudi antiqui concesserit dominus, hoc scilicet effectu, vt in eo collaterales agnati succedant, perinde ac si a maioribus esset quæsitus, num illud sine istorum sensu posit alienari? Et dubitandi quidem rationem præbet, quod de agnatis iure nostro feudali generatim cautum reperitur, eos propter succedendi ius, quod ex inuestitura nacti sunt, & contradicendi potestatem habere

\* v. ROSENTHAL de Feudis, cap. IV. concl. IX. n. 1. SCHRADER, P. III. cap. 2. n. 19. BOCKER, de Inuestitu. cap. 5. n. 15.

bere, & feudum, posthabito ipsorum consensu alienatum, reuocare posse. Nam etiam in proposito succedendi ius vel ex pacto, vel ex inuestitura, sub conditione illa facta, adeptus quis est: par itaque videtur, ut feudo sine consensu eius alienato, etiam potestas contradicendi aut reuocandi, perinde ut agnato successuro, competit. Vide textus iuris feudal is in hanc rem facientes indicantem HARTMANN PISTORIS, Lib. II. Qu. XXVIII. n. 1. & seq.

### §. XXVIII.

Verum hisce non obstantibus negatiua sententia Negans sententia verior est. Et quod ad expectatiuarium quidem nudum attinet, ille nullum aliud quam ius ad rem, neque actionem aliam, nisi personalem contra dominum, & quidem tum demuni habet, vbi conditio impleta fuerit. Itaque de iure communi pariter atque Saxonico indubitatum esse communiter concludunt Doctores, expirare, illam successionis spem, vbi vasallus possessor de consensu domini alienauerit feudum, cuius intuitu expectatiua alteri concessa erat: quemadmodum illi alias quoque, nulla expectatiuarii habita ratione, seniore permittente, integrum est nihil non statuere de feudo, cuius inuestitura alicui citra suum consensum facta \* vt tamen actio ad interesse aduersus dominum, ei qui ius expectatiuæ impetravit, in saluo maneat.

\* HART. PISTORIS, cit. loc. REVSNERVS Lib. III. Conf. 23. n. 12. seq. RHETIVS in Comment. ad Ius feud. Lib. I. T. III. n. 10. seq. BRVNNEM. Cent. III. Dec. 3.

neat. Intuitu autem feudi noui, iure veteri concessi, consentiens itidem est interpretum doctrina non prius effectum feudi antiqui, reuera ac sua natura talis, illud sortiri, quam delato ad agnatos illos putatiuos, aut simultanee inuestitos, ipso successionis iure. Quibus ita comparatis, poterit omnino vasallus, domino consentiente, feudum alienare, illis quamlibet dissentientibus. Plane si cum agnatis hoc nomine certæ pactiones sint initæ seruandas illas esse nemo dubitat. ROSENTHAL, cap. 2. concl. 15. ANTON. Disp. feud. I. §. 5. lit. E. HARTM. PISTORIS cit. loc. & qu. 44. HORN. in IPr. Feud. cap. III. §. X.

## §. XXIX.

*Quid si plures  
sint domini?*

Proximum est ut videamus, quid iuris sit, si plures sint Domini, vel eiusdem generis, vel quorum alter est immediatus, alter mediatus, an scilicet omnium consensus sit necessarius? Et quod priorem casum spectat, e. g. si plures sint domini heredes, omnium consensus erit impetrandus, quod adeo verum est, ut si forte vnius, vel alterius consensus non interuenierit, feudum alienatum pro rata committatur, II, F. 38. Circa alteram questionem in varias sententias abeunt Doctores. Verior autem & in praxi receptionior est opinio, solius domini immediati consensum requiri, ideoque adprobationem senioris supremi seu mediati, non esse necessariam. De Rationibus huius decisionis videri possunt KOHLIVS, de subfeudis, cap. 4. n. 45. STRYKIVS de

*de Oblig. Feud. Conf. mun. cap. II. n. 50. seq.*, qui etiam numero 45. de consensu procuratoris domini disputat.

## §. XXX.

Sed hæc exempli gratia, ad illustrationem principii, quod superius de consensu feudali, ratione subiectorum spectati, collocauimus, proposuisse sufficiant. Vnum tamen submonere liceat: nimirum quamquam non sum in ea vel hæresi, vel opinione, ut credam, dominum & vasallum in omnibus teneri ad patria, proptereaque ex iisdem causis, quibus vasallus dominio utili excidit, dominum quoque priuari posse dominio directo; quin potius textus in hanc rem communiter excitatos, nimirum II. F. VI. item II. F. XXVI. §. *domino* & II. F. XLVII. vel superstitiones, vel spurious, vel minus intellectos esse, in ipso congressu disputationis monstraturus sum: certissimum tamen est, quod ad contractum feudalem, atque inuestituræ pacta attinet, iura domini & vasalli paria esse atque reciproca. Qua ex re, nisi me omnia fallunt, ad committendam turpissimam illam, a dicto secundum quid, ad dictum simpliciter fallaciam, communis interpretum schola seducta fuit. Hinc vero manifeste consequitur, regulariter nihil quidquam mutationis, vel in contractu feudali, vel in ipso beneficio, suscipere in præiudicium vasalli dominum posse, citra huius consensum. Vnde variarum resolutio quæstionum, v. g. de alienatione vasallorum, de transcriptione dominii directi in alium, &c. vel me tacente patescit.

D

§. XXXL

## §. XXXI.

*De Obiecto  
consensus  
feudalis re-  
gulae genera-  
les.*

Ordinis ratio postulat, vt nunc consensum feudalem obiective quoque spectemus, hoc est, ad negotia transeamus, in quibus aliorum adprobatione opus est. Lubet autem heic etiam catholicum aliquod posse principium, ex quo varii generis conclusiones prono velut alueo sponte fluant. Est vero hoc sequens: Quodcumque negotium sic est comparatum, vt in eo versetur vel domini, vel vasalli, vel agnatorum etiam ac simultanei inuestitorum praeiudicium, in illo etiam requiritur consensus eorum, quorum interest. Ex adverso: quodcumque negotium ad utilitatem feudi tendit, saltemque nullo cum alterius cuiusquam detimento ac praeiudicio coniunctum est, illud etiam citra alterius consensum efficaciter vel ab ipso domino geritur, vel a vasallo, atque agnatis.

## §. XXXII.

*Istarum de-  
claratio.*

Ratio vtriusque regulæ per se satis est manifesta. Ex priore autem illa consequitur, nefas esse vasallo sine consensu domini feudum vel vendere, vel oppignorare, vel permutare, vel in dote aut in solutum dare, vel deterius reddere, vel per ultimam voluntatem in alium transferre: Similiter haudquaquam concessum esse domino beneficio sine legitima causa clientem priuare, legem contractus proprio ex iubitu mutare, in feudi possessione vel fructuum perceptione eum turbare, seruitia augere, & quæ sunt similia. Ex altera autem regula deducitur, quod posit vasallus, non

non adhibito senioris consensu, feudum locare, in subfeudum dare, tempestive ac citra fraudem refutare, de eo conseruando transigere, atque in vniuersum ea omnia facere, quæ conducunt ad augendos sine iniuria domini & agnatorum feudalis prædii fructus. Plane yti etiam domino, præsertim in feudo dato seu beneficatio integrum est, iuri pro se introducto renunciare, plenumque feudi dominium concedere vasallo. \*

### §. XXXIII.

Speciatim illud quoque ex dictis manifeste evin- *De Trans-*  
citur, non posse a domino ac vasallo possessore trans-*mutatione*  
mutari feudum in allodium, nisi consentiant illius pa-*feudi in al-*  
riter atque huius agnati. His enim per primam in-*lodium.*  
uestitutram tam firmum quæsitum est ius, vt sine eo-  
rum culpa aut consensu mutatio quædam suscipi non  
possit. \*\* Idque adeo verum est, vt nec princeps in-  
ter eos, qui sunt eiusdem familiæ & agnationis proxí-  
mæ, ipsis inuitis, talem mutationem facere queat. \*\*\*  
De simultaneæ inuestitis idem asserendum venit. Suc-  
cessit enim coniuncta manus in locum agnationis, at-  
que per omnia naturam eius est adepta, ita vt etiam  
ab agnatione ad simultaneam inuestitutram argumen-  
tum valide ducere liceat. Loquor autem hic de inue-  
stitura, purum vasallo ius tribuente, non de condicio-  
nali

D 2

\* Vid. LUDWELL. in Synops. feud. cap. XV. pag. 313.

\*\* II. F. XXIX. pr. SCHNEIDERWIN, de feudis 60. v. cap.

2. n. 31. seq.

\*\*\* MENOCH. Cons. CIII, n. 56.

nali illa, in solius possessoris fauorem proprio ipsius facto impetrata. \*

### §. XXIV.

*An dominus  
loco seruitio-  
rum feuda-  
lium exigere  
posse pecu-  
niam?*

Quid vero, si dominus loco seruitiorum militarium, quorum præstatio vasallis non nisi imminente vel durante bello incumbit, certum quendam annum canonem solui iubeat; ita tamen, ut in ceteris priscam naturam ac indolem suam retineant prædia feudalia? Sane primo intuitu citra consensum vasallorum eiusmodi mutationem, iure quidem propitio, fieri haud posse, dicendum videtur. Principio enim in eo redditur istorum conditio deterior, quod loco seruitiorum equestrium, per plurimum decursum annorum vix ac ne vix quidem semel præstandorum, annuis pensionibus fiant obnoxii; quum tamen plerumque durius sit soluere pecuniam, quam personale seruitium seu ministerium præstare; quoniam hoc quidem semper in promtu est, data valetudine secunda, quemadmodum contra, hac aduersa, in promtu quoque est excusatio legitima; pecuniæ autem comparatio plerumque est difficilior. Deinde vasallum ultra determinatum in litteris clientelaribus modum non esse prægrauandum, ipsa contractus feudalis lex & æquitas postulat. Accedit, quod aliud pro alio ab inuito debitore peti non possit.

### XXXV.

\* Vid. BORNIVS, de Transmut. feud. in allod. §. X.

## §. XXXV.

Verum enim vero, sicut certissimum est, bellorum suscipiendorum necessitatem, aliorumque publicorum officiorum administrationem, feudorum originis causam fuisse, quo nimis Imperatores ac Principes fortis nanciserentur viros, quorum virtute ac strenua opera possent tum hostium incursus & iniurias repellere, tum alias rempublicam in partibus eius feliciter gubernare: ita nemo quisquam est, qui ignoret, successu temporum, eorumque vicisitudine, in alia omnia hæc esse mutata. Sane enim loco veterum militum ac vasallorum bellicorum, in plerisque regnis ac rebus publicis hodie alitur miles stipendiarius, magnisque sumtibus sustentatur. Similiter qui vel in auila & curia Principis, vel etiam in ecclesia, togatæ militiae stipendia merent, his ea omnia ex aliis præstanta veniunt redditibus; vasallis hodie sic dictis nihil quidquam contribuentibus. Quæ cum ita se habeant; & vero mutato reipublicæ statu, non potuerint, non etiam publica iura ac instituta mutari, sane a iuris ac iustitiae regulis, præsertimque eorum intuitu, qui non nudi vasalli, sed simul quoque subditi sunt, minime alienum esse videtur, si in locum illorum prioris temporis seruitiorum, exigente reipublicæ necessitate, certa pecuniæ quantitas, ab inuitis etiam, qvotannis exigatur.

## §. XXXVI.

Ne quis autem inuita Themide, præsertimque *Illustratio* feudali, hæc a me dicta esse censeat, age, in confir-*istius argu-*  
*ma-* *mentis.*

D. 3

mationem eorum vnum alterumque proferam. Et primo quidem constat, fuisse apud Romanos quoque quandam equorum exactionem & collationem, ad militares usus destinatorum, cuius in locum pro ratione publicæ necessitates, aderatio introducta, hoc est, certa pecuniaæ quantitas, ab Imperatoribus indicta fuit prouincialibus. \* Similiter CAROLVM M. vasallos actu non militantes, nulla habita ratione vel ætatis, vel morbi, soluere coëgisse quinque denarios annuos, ex quo quis frumenti modio, indeque tanquam ex proprio censu æarium sibi constituisse, & vocasse Königsteuer, ex AVENTINO refert ANDR. KNICHEN \*\* Pari modo a CAROLO III. Crasso appellato, aut si SCHVRTZFLEISCHIVM audimus, a CONRADO II. Salico dicto, in Const. de Expedit. Rom. totus fructus illius anni, quo vasallus seruitia non præsttit, poscitur. Eadem ratione, a CONRADO III. Imperatore, vel, ut HOTOMANNVS contendit, ab LOTHARIO Saxone, tertia pars fructuum, illius anni, quo seruitia præstari debent, pro adoba, seu hostendarum nomine, in Teutonica terra constituta fuit, II. F. XL. princ. Postea temporis a FRIDERICO I. Imperatore tam in Italia, quam in Alemaniâ modus ille pecuniaæ ad dimidiâ partem fructuum seudi vnius anni est definitus, II. F. LIV & LV.

\* Vid. tot tit. Cod. Theod. de Stratoribus, i. e. equis curandis regendisque præfectis, item Tit. de oblatione, & collatione equorum, ibique IACOBVM GOTHOFRDVM in Comment.

\*\* De sublimi ac regio territor. iure cap. III. n. 388. seq.

*LV.* Denique ut olim Imperatores communem rationem imponendorum onerum, quæ generaliter per æs & libram, pro modo scilicet facultatum iniri solet, sequuti sunt: ita satis manifeste constat, hodiernos Imperatores in expeditionibus Imperii nomine, v. g. aduersus Turcam susceptis, vel secundum communem denarium, vel secundum modum veteris illius expeditio-  
nis Romanæ, de consensu quidem Ordinum, pecuniarum indicere collationes. Sed plura in hanc rem cumulare non necesse est. \*

§. XXXVII.

Ad formam consensus feudalis quod attinet, est ille vel verus, vel fictus seu præsumptus; verus a) alias expressus, alias tacitus; c) alias antecedens, alias con-  
sequens seu ratihabitio; denique d) alias liberi arbitrii, alias necessarius, hicve e) rursum vel ex lege, aut imperantis iussu, vel ex conuentione interponen-  
dus. Circa consensum verum expressum, verbis vel litteris declaratum, nihil quidquidquam occurrit diffi-  
culty; istumque propter causarum feudalium graui-  
tatem, & ad præscindendam litigandi occasionem, sem-  
per requirit ius nostrum feudale Mecklenburgicum,  
Titulo vigesimo, artic. XX.

*De consensu  
feudali ratione forme  
spectato.*

§. XXXIX.

\* Vid. Dn. de COCCEI, in Diff. de Adoha. LVEDECKE de Aderatione. ROSENTHAL de feud. cap. III. conclus. 23. vbi ex veteribus docet, quod Baro, ad seruitium feudale obstrictus, favore publicæ reilitatis cogi posse, ut seruat in pecunia.

## §. XXXIX.

*Ex sola scientia & silentio taciti disceptatio non inducitur consensus feudalis.*

Grauior autem est de vi & efficacia consensus ex sola scientia, vel silentio, nullo voluntatis & adprobacionis concurrente signo alio, consensum tacitum elici non posse. Est namque silentium mera negatio; atque tacentis medius quidam status, inter fatentem, & negantem; quod recte sic efferunt iuris nostri autores: *qui tacet, non utique fatetur; sed tamen verum est, eum non negare.* \* Multo minus autem nuda scientia aut silentium eius, cuius ius in se saluum est, pro consensu haberi poterit. Itaque agnatus, quo sciente & tacente vasallus possessor feudum vel vendidit, vel pignori supposuit, iuri successionis ac reuocationis renunciasse minime videtur: tacuit enim non ideo, ut consentiret, sed quia sciebat ius suum ubique saluum esse: arg. L. 8. §. 15. D. Quibus modis pign. solu. Similiter etiam sola domini scientia, feudum alienari, consensum eius non inducit. R. STRVIVS, in Synt. Jur. Feud. cap. XIII, aph. 2.

## §. XXXIX.

*Scientia ac silentio accedens factum verum inducit consensum.*

Alia prorsus ratio est, si non sit nuda scientia, aut silentium nudum; sed factum aliquod accedit, quod in signum voluntatis & adprobacionis communiter solet accipi. Sane enim hoc casu verum est tritum illud vulgari sermone prouerbium: *qui tacet, confessus est.*

\* L. 142. de Reg. Iur. Cap. 44. eod. in 6.

sentire videtur. Namque vbi consensus inducitur ex facto quodam alio, quam nudo silentio, illo casu patientia, & silentium, seu omissa protestatio & contradicatio, pro consensu omnino habetur. Merito quippe quilibet sanæ mentis homo id voluisse censetur, quod facta eius indicant: veluti si quis, ceu fideiussor tutoris, patiatur nomen suum in actis scribi, neque contradicat, vtique in obligationem consensisse recte iudicatur. Vide legem quartam §. fin. D. de *Fideiussor*. *tutor*. & *curator*. vbi respondet VLPIANVS: *Fideiussores a tutoribus nominati, si presentes fuerunt, & non contradixerunt, & nomina sua referri in acta publica passi sunt, & quum est perinde teneri, atque si iure legitimo stipulatio interposita fuisset.* \*

## §. XL.

Quibus ita sese habentibus, minime dubitare licet, quin tacitus etiam domini vel agnatorum, ipsis vide-  
licet rebus ac factis declaratus consensus, in negotio  
feudali quandoque sufficiat, illudque reddat validum. *An dominus  
& agnati  
contractui  
subscriben-*  
Vnde facile patet, quid de nobili illa quaestione sit sen-  
tiendum: annon dominus & agnati praesentes aliena-  
tioni, contractumque subscriptione sua corroborantes,  
in alienationem consensisse videantur? Et quidem  
communis feudalis iuris interpretum schola id negat,  
dominumque, subscriptione sua haud quidquam ob-  
stante, vasallum feudo priuare, agnatum vero, deuo-

E luto

\* Conf. plurib. IACOB. GOTHOFREDVM, in Comment.  
ad cit. Reg. Jur.

Iuto scilicet ad se ordinis successorii beneficio, illud ab emtore reuocare nihilominus posse, contendit. \* Verum argumenta, quibus ad hoc euincendum vtuntur, non probant, quod debent. Namque falsum est, hoc casu domino agnatisque saluum, quod antehac habuere, ius esse, non obstante alienatione ac translatione in extraneum facta; falsum quoque, dominum atque agnatos alienationi hoc casu contradicere neque potuisse, neque debuisse; quippe quod ille magis ut iudex contractum confirmasse, hi autem magis ut testes nomina sua subscrisisse videantur. Questio enim est de domino atque agnatis, qua talibus: hinc in dubio, hoc est, vbi super iuris sui reseruatione haud protestati sint, neque expresse, confirmationis tantummodo ac testimonii causa, sua se nomina addidisse significauerint, etiam qua tales negotio illi consensum accommodasse, ex subscriptione sua merito iudicantur. Est enim haec efficacissimum pariter atque communissimum voluntatis nostrae signum; & qui instrumento subscrabit, perinde ei, dummodo contenta eius intellexerit, consentit, ac si sua manu scripisset. \*\* Quibus accedit, quod diuersæ illæ personarum qualitates in subscriptoribus haud vsque concurrant. Quid enim, si dominus feudi non simul sit dominus regionis aut iu-

\* Conf. H. HISTORIS L. II. Qn. VII. n. 1. CARPZ. P. H. Const. 48. Def. 6. STRYK. in Exam. Jur. Feud. cap. XIX. qu. 10. & cap. XX. qu. 17.

\*\* Conf. BARDILI, in Tract. de subscriptione, cap. VIII. COCCEIUS, de Silentio, th. XIV. seq.

iudex ordinarius, ad quem spectat contractus confirmationis? quid, si totum negotium in iudicio publicaque auctoritate gestum, vbi priuata testium fides non opus est? Demus autem licet, eas qualitates concurrere; certe in hoc subscriptionis actu non nisi conceptu differunt; quem proinde exprimere debuissent subscriptientes; quandoquidem contra eum, qui clarius loqui potuisset ac debuisse facienda est interpretatio. Sed haec hactenus salua magnorum virorum, qui communiter dissentunt, auctoritate, saluisque specialibus legibus ac moribus, in alienationibus, præcipue, ceterisque grauioris momenti ac præiudicij causis, expressum domini & agnatorum consensum requirentibus, a me disputata sint. Certe tacitum consensum etiam in feudalibus negotiis admittunt VULTEIVS, SCHRADE-RVS, ROSENTHAL, RAVCHBAR, MTNSINGER, PRVCKMANN, alii, STRTKIO in Dissert. de Oblig. feud. cons. munit. cap. III. n. 38. laudati.

### §. XLI.

Fictus consensus spectatur in omnibus causis feudalibus licitis, ex quibus sine vera eorum, quorum interest adprobatione, ex consensu legibus aut moribus propter æquitatem inducto seu præsumto, valida nascitur obligatio & actio. Causæ illæ generatim vel ad necessaria onera, feudo absque speciali oppignoratione inhærentia, vel ad ea quæ in utilitatem feudalis prædii conuersa sunt, referuntur, atque tum a domino in casum feudi aperti, tum a quolibet successore feudali

*De consensu  
ficto.*

E 2

dali, veniunt præstanta. Sic quum feuda Germaniæ hodierna maximam partem quondam fuerint allodia; in allodiis autem non filii tantummodo, sed & filiae omnesque per foemini sexus cognationem iunctæ personæ pari modo succedant, ea ex re euenit, vt non solum filiabus atque sororibus defuncti vasalli, dos vel legitima, sed & viduis certa bonorum pars, dotalitii nomine, ex feudo debeatur. Eodem quoque loco habenda sunt, quæ in feudali prædii vtilitatem & emolumentum erogata; item residuum pretii, quo illud est comparatum; mercedes famulorum, qui in feudo seruitia præstiterunt; & quæ sunt huius generis alia, quibus tamen ex iure Saxonico hoc addimus singulare, quod ædificia, in feudali fundo extracta, citra omnem refusionem impensarum ad successores feudales transeant. CARPZOV. P. III. Const. 31. quem etiam vide in Tractatu, de Oneribus feudal. eidemque iunge STRK. in Exam. Jur. Feud. cap. XXI. de Obligatione ex quasi contractu.

## §. XLII.

*De ratihabitione.*

Ceterum consensus domini & agnatorum non modo in ipso alienationis actu, sed etiam ex interuallo peti & adhiberi potest. Habet enim ratihabitio effectum iuris retrogradum, propterea que idem operatur, ac si in ipso statim negotio fuisset adhibitus consensus. Quod tamen respectu creditoris tertii prioris sic est limitandum, vt eius intuitu non nisi illud temporis momentum, quo ratihabitio domini reuera secuta

ta ac impetrata fuit, inspiciendum sit: itaque in concursu creditorum ille debet præferri, cuius obligatio, in se licet posterior, attamen iam ante ratihabitionem illam consensu domini munita fuit. Conf. pluribus ZIEGLERVS, de Ratihabitione, thes. LXXXVII. STRVK. de Obligatione feud. cons. mun. cap. III. n. 52.

### §. XLIII.

Quamvis vero regulariter consensus feudalis a libero domini & agnatorum aut simultaneo inuestitorum dependet arbitrio; certis tamen ex causis quandoque contingit, ut illum, etiam inuiti ac velut necessario, accommodare debeant. Et primo quidem spectat casus, vbi pactum aliquod, de consensu haud denegando, fidem atque expletionem istius promissi flagitat: similiter, dominus ad instantiam vasalli consensum suum iure denegare non potest, si ille ex legitima causa, v. g. propter utilitatem feudi, aut ad præstationem oneris feudo incumbentis, decenter expetatur. Pari modo, pro re nata, proque personæ vel causæ meritis, consensum agnatorum contumacium nonunquam ex officio supplet dominus feudi. \*

### §. XLIV.

Reliquum est, vt paucis quoque de effectu consensus feudalis dispiciam. Hic vero in eo potissimum

E 3

con-

*De effectu  
consensus  
feudalis.*

\* Vid. WURMS. R. L. I. Obs. 16. t. 5 i. FRIED. a SANDE de Feud. Geldiaæ Tit 2. c. 1. n. 7. STRVV. in S. J. E. c. 13. aph. 12. n. 6. SCHOPPIVS in Thesaur. feud. cap. II. Sect. 10. Obs. 7.

consistit, vt omnis vasalli dispositio de feudo valeat, quæ alias non solum irrita, sed pro re nata etiam cum notabili poena, hoc est, ipsius feudi priuatione, coniuncta foret. Generatim vero consensus domini & agnatorum, circa obligationem atque oppignorationem feudi interpositus, id operatur, vt in casu vel apertura, vel successionis feudalis, non solum agnoscere talismodi hypothecam in feudo constitutam, sed etiam ipsum debitum vna cum usuris, omnique eo quod alias creditoris interest, soluere teneantur. \* Eadem ratione manifeste constat, agnatis, si consenserint alienationi, iurique adeo suo, quod in feudo habuerunt, renunciauerint, nullum ad hoc amplius dari regresum, II. F. 26. §. *Titius*, quod verum est, siue in ipso alienationis actu, siue ex intervallo consensum dede-  
ravit; & siue hic fuerit expressus, sive tacitus, siue præsumptus. COTHMANN. Vol. II. Resp. XCI. n. 41. seq. KÖPPEN., Decis. 54. num. 67.

### §. XLV.

*Cui non ob-  
stat clausula:  
salvo iure  
principis.*

Necquidquam vero impedimento est illi effe-  
ctui, tametsi dominus consensui ac confirmationi con-  
tractus adiecerit clausulam: *salvo iure nostro*. Hæc  
quippe id tantum operatur, ne feudum ex alienatione  
vel oppignoratione mutetur, atque vel porsus intereat,  
vel adscititiam quandam induat qualitatem; sed vt  
potius in eodem statu persistat, atque ex eo seruitia,

alia-

\* HART. PISTORIS L. II. Qu. 156. n. 9. CARPZ. P. II.  
cap. 46. D II. KÖPPEN., Decis. 39. n. 28.

aliaque feudationera perinde ut antea praestentur, omniaque iura domino in ceteris illibata ac integra permaneant. Itaque si creditor, consensu domini munitam habens hypothecam, possessionem feudi nactus fuerit, non potest declinare seruitia feudalia, multo minus in dubium vocare ipsum dominium directum. COTHMANN Vol. II. Resp. XCI. n. 41. STRTK. in Disput. de Salvo Iure Principis. cap. 3.

### §. XLVI.

Ex illis quæ hactenus proposita sunt manifeste *Consensus est adparet, omnem consensum inuoluere quandam iuris stricte interpretationis.* Quandoquidem autem hæc semper est strictissimæ interpretationis: ita hinc quoque intelligitur, consensum etiam tam domini, quam agnitorum, strictioris esse explicationis, neque propterea facile de casu in casum, aut de persona in personam extendendum. Ex quo recte inferunt Doctores, quod, si vasallus domini consensum impetraverit ad vendendum, nequeat ille huius virtute feudum oppignorare; per oppignorationem enim deterior sit causa domini, quam facta venditione; siquidem illo casu, feudo quidem aperto, ad solutionem æris alieni dominus obstringitur, hoc autem non æque. \* Similiter, si dominus consenserit, ut Caio vendas feudum, nefas erit ut hoc transferas in Meum; quoniam limitata causa

\* ROSENTHAL. Cap. IX. condus. XXXIV. n. 8. 2.  
BRUNNEMANN. Cent. III. Dec. 18.

limitatum producit effectum; & quo vsque dominus non consensit, eo vsque etiam non est obligatus; neque ipsi inuito alias pro alio obtrudi potest vasallus. \*

### §. XLVII.

*De cessione  
hypothecæ  
feudalis.*

Ex eodem fundamento deducitur, quod non possit cedi hypotheca feudalis aliter, quam accidente denuo domini directi consensu. Quia in re strictæ illi feudalis consensus explicationi hoc etiam accedit, quod in actionum ac iurium super re immobili competentium cessione, eadem requiratur solennitas, quæ ad ipsius rei immobilis alienationem desideratur. \*\* Quod tamen de sola actione hypothecaria feudali, ne ea vti possit cessionarius, capiendum videtur, non similiter de personali, aut hypothecaria allodiali. Sic in Ordinat. Process. Saxo-Gothan. P. I. c. 18. §. 9. conceptis verbis constitutum est: *Wer ein dinglich Recht durch Verpfändung auf Gütern, die nicht Leben sind, beständig erlanget, mag solches auch andern verpfänden: Das dingliche Recht aber, so einer mit Consens des Lebens-Herrn auf ein Leben-Gut erlanget, soll er, ohne erlangten neuen Consens, auf andere zu transferieren nicht be-*

\* SCHRADERVS, de Feud. P. VIII. c. IV. n. 14.

\*\* TIRAQVELL. de retract. proximit. §. I. al. 7. FRIED. a SANDE ad consuet. feud. Geldr. T. II. c. 4. §. 2. n. 12.

befugt seyn. \* Quo tamen loco, ad obtinendum actionis hypothecariae fractum utilis succurrit cautio, ut cessionarius, praeter instrumentum cessionis, sibi dari curet mandatum simplex, ex eoque hypothecam iure & nomine cedentis persequatur. Quæ ipsa cautio etiam in causis, alioquin ex tabulis iurium cessibilium exclusis, cessionario potest esse subsidio. \*\*

## §. XLVIII.

Quæ de consensus feudalis necessitate & interpretatione adhuc disputauimus regulariter in omni feudo, etiamsi hoc fœmineum, vel hereditarium mixtum sit, procedunt: improprietas enim nota, æque ac ipse consensus feudalis, strictissimæ est interpretationis; proptereaque feudum improprium in vna parte, non statim etiam tale esse censemur in alia. Verum diuersa tamen ratio est in feudo absolute hereditario, wenn es ein frey-eigenthümliches Lehn-Gut ist, itemque in feudo alienabili, quippe in quibus saltet denegare consentum, si quidem hunc petere vasallus teneatur, nequit dominus, isque alias quoque laxioris est interpretationis. Similiter exceptionem patitur superior regula, si consensus domini ad alienandum generaliter imperatus, neque etiam ad certam aliquam personam in eo expressam fuerit restrictus. Sane enim hoc casu non dubitandum, quin & omnis alienationis species subin-

F telli-

\* Conf. ROSENTHAL. cap. IX. concl. 33. OBRECHT. in Tract. Feud. L. III. c. 8. n. 60. MARTINI, in Comment. ad Ord. Proc. Saxon. T. XLVI. §. 7.

\*\* Dn. de BERGER in Resol. LL. Obst. ad Lauterb. tit. de hered. vel act. vend.

telligatur, & hæc in quamlibet personam, feudi istius capacem, citra culpæ periculum, fieri posit. Quin & hoc dubio caret, consensum domini super oppignoratione interpositum, non tam extendi, quam adPLICARI potius iure posse etiam ad venditionem: ubiunque enim aliquid conceditur, videntur esse omnia concessa, quæ in consequentiam veniunt; tendit autem omnis contractus pignoris ad alienationem; foretque consensus domini frustraneus ac sine effectu, nisi feudi vendendi potestatem haberet vasallus; quem tamen prudenter facere non negamus, si domini consensum honoris causa repeatat. Conf. L. 7. §. 1. D. de Reb. eorum qui sub tutel. HART. PISTORIS, P. I. Qu. 15. n. 39. seq. FRID. a SANDE ad Consuet. Geldr. Tit. 2. c. 4. §. 2. KOEPPEN Decis XXXIX. n. 18.

### §. XLIX.

*De consensus feudalis duratione.* Ad effectum consensus feudalis spectant etiam quæstiones, de illius duratione, prorogatione, ac reuocatione. Et quod ad primam illam attinet, obseruandum venit, durare regulariter consensum domini, indefinite scilicet concessum, quamdiu subsistit causa, in qua se fundat; siue hæc principalis sit, siue accessoria. Sic quando vasallus, domino consentiente, pro præstanta euictione alicuius prædii obligavit feudum, quousque metuendum est euictionis periculum, eosque etiam consensus & obligatio feudalis consistit: ista vero causa cessante, v. g. si præscriptione munitus fuerit contractus, effectum quoque feudalis consensus cessare par est. vid. SCHOPPIUS in Thes. feud. pract. cap. II. Sect. X. Obs. 12.

Quem-

S. L.

Quemadmodum vero plerumque fit, ut dominus, *De consensu*  
vel agnati etiam, ad certum dunitaxat tempus, puta *domini ad*  
biennium, triennium, &c. consensum impertiant: ita *certum tem-*  
palam est ad intelligendum, hoc tempore elapso, no-  
voque consensu haud impetrato, ius pignoris extin-  
ctum atque sublatum esse; eo quidem effectu, ut in  
concurso creditorum præferantur ii, quibus postea au-  
toritate atque consensu senioris, eadem bona feudalia  
fuerunt oppignorata. Quæcunque enim iura a certo  
temporis articulo suspensa sunt, hoc præterlapso eu-  
nescunt. Et tanto quidem minus de veritate huius  
assertionis est dubitandum, si consensui ad certum  
tempus præstito, clausula cassatoria, vel annullatoria,  
fuerit adiecta, *dass nach Verfließung sothaner Zeit der*  
*Consens tott, abe, und nichtig seyn solle.* Verum idem,  
etiam citra huius clausulæ adiectionem, operatur con-  
sensus domini, ad certum dunitaxat tempus interposi-  
tus: quoniam actus agentium ultra voluntatem eorum  
non possunt operari; atque in illis quæ sunt de genere  
prohibitorum, permissa ad certum tempus, postea  
temporis prohibita esse iudicantur. \*

§. LI.

Quod si tamen dominus ad certum quidem tantummodo tempus consenserit, sed hac adiecta clausula reseruatoria: ut finito illo tempore, vel sibimet ipsis suis feudalibus.

F 2 vel

\* Consulat. DAN. MOLLER. Semestr. IV. Qu. XXIV.  
ANDR. RAVGBAR. P. II. Quæst. XXIII. CARPZ. P. II.  
Conſt. XXIII. Def. XXIV.

vel cui hoc permiserit, integrum sit, feudum oppignoratum relivere, consensus huiusmodi eo usque robur & firmitudinem obtinebit, donec vel a debitore, vel ab ipso domino, vel permissu eius ab alio, fiat reluitio. Namque quousque dominus iure reluendi sibi reservato non vtitur, tacite in obligationis & pignoris prorogationem, quæ extra hunc casum sine novo domini consensu cum effectu fieri non potest, consentire exstimator; cuiusmodi consensum tacitum, & facto ipso declaratum, ad feudi alienationem, vel oppignorationem, multoque adeo magis ad constituti pignoris prorogationem sufficere, iam supra monstrauit, eaque in re consentientes habeo grauissimū nominis Doctores, argumento cap. II. F. 52. & 55. sententiam hanc defendantes, VVLTEIVM de Feudis Cap. X. n. 64. SCHRADERVM, Feud. Parte VIII. cap. IV. n. 2. ROSENTHALIVM, cap. IX. conclus. 29. LTNCKERVM, Resolut. Ienens. CCLI. illustr. BOEHMERVM, in Dissert. de Hypotheca feudalí expressa, cap. I. §. XII.

## §. LII.

*De virtute  
consensus  
feudalis  
conclusio.*

Nuda domini poenitentia consensum, semel legitime interpositum, reuocari non posse, exinde liquet, quod nemini cuiquam ius quasitum auferri queat, nisi in poenam. Neque vero ille vel morte domini expirat, vel creditoris, aut vasalli debitoris; sed illius quidem successores, etiam singulares, ea quæ officii ac dignitatis nomine facta sunt, rata debent habere.

re. \* Heredes autem vasalli, atque creditoris, eandem cum his ipsis repräsentare videntur personam, adeoque pari hac quoque parte cum eis fruuntur iure. Hoc adiecisse superioribus iuuat, durare consensum domini, certo quamlibet tempore circumscriptum, etiam ultra hoc, nimirum ad effectum usque rei iudicatae per executionem in bona feudalia consequendum; modo statim ac sine mora, ex quo dies solutionis venerit, actionem instituerit creditor, omnemque in persecutio-  
nem iuris sui adhibuerit diligentiam. Sed plura nunc non cumulabo, & temporis & instituti habens rationem.

TIBI autem

**DEVS OPTIME MAXIME, SIT LAVS,  
HONOR ET GLORIA.**

\* REGN. SIXTINVS Vol. I. Conf. Marp. Conf. IX. n. 85.  
SCHRADER. P. IX. Sect. XIV. n. 54.

**F I N I S.**

**CLARIS-**

CLARISSIMO IVRIVM CANDIDATO

SPALDINGIO

S. P. D.

IUSTVS HENNINGIUS BÖHMER.

**O**FFICium, quod sub ipso discessu a me postulasti,  
eo lubentius & promptius in me suscepi, quo  
magis etiam hoc ipso meo desiderio, meum  
erga Te declarandi amorem, satisfacere, atque publi-  
cē ostendere possem, hos duntaxat mihi in deliciis &  
amicorum numero esse, qui omni animi impetu stu-  
diis, quæ mentem perficiunt, generique humano pro-  
sunt, incumbunt, & solidiora vulgaribus umbram tan-  
tum veritatis præ se farentibus, præferunt. Et quoniam ab eo tempore, quo mihi innotuisti, mox ani-  
maduerterim, Te omnia illa, quæ ad veram eruditio-  
nem acquirendam desiderantur, id est, dotes animi  
elegantes, sitim exauriendi quamcunque doctrinam  
inexplebilem, & laborem indefessum, possedisse, at-  
que eas qualitates in rem Tuam vertisse, non potui  
non

non optimum certissimumque augurium de prospéro  
studiorum Tuorum successu capere, Tibique exopta-  
tum rerum exitum polliceri. In vtraque enim pa-  
laestra, tam Salana, quam hac Fridericana regia, debitum  
impleuisti officium, & tot doctrinis elegantioribus  
mentem Tuam expoliuisti, vt iam pectus bene præpa-  
ratum & scientiis variis consolidatum geras, & certa  
fiducia Te solenni conflictui exponere possis. Hunc  
in finem denuo Academiam Salanam, studiorum Tu-  
rum primam matrem, adiisti, & officii Tui esse credi-  
disti, illi loco primitias fructuum consecrare, quorum  
primam culturam ei acceptam fers, quamque hic ulte-  
rius, me aliisque ducibus, perfecisti. Quocirca æquis-  
simum esse duxi, publica hac gratulatione Tuis cona-  
titibus, applaudere, Tibique quævis fausta apprecari,  
vt sicuti optime aliis præiuisti exemplo, ita quoque in  
posterum alii ex Tuis incrementis argumentum cer-  
tum capiant, eos non frustra laborare, qui in curri-  
culo studiorum suorum metam attingunt exopta-  
tam. Vale. Datum in alma Fridericana d. 31. Mart.  
**MDCCXXVIII.**

NOBI

NOBILISSIMÆ IN VTRQVE IVRE DOCTRINÆ  
CANDIDATO EXIMIO

Io. DAVIDI SPALDINGIO  
INAUGVRALE ACADEMICÆ ERVDITIONIS  
DOCVMENVTVM EDENTI

DISSERTATIONIS PRÆSES


FELICITATEM!


Quod Parentum optimorum votis maxime expetebatur, nobilissime SPALDINGI, quodque Affinis perquam venerandus, vir mihi amicissimus, LVGERVS, veri apud vos sacrorum antifititis atque interpretis officio laudabiliter fungens, pro incredibili suo erga te amore, summo & cupiebat & iuuabat studio: id iam diuina ope, tuaque virtute perfectum esse, non in sinu, sed publice gaudeo. Tam enim præclare excoluisti egregias ingenii tui dotes, tantaque solertia operatus es sanctissimæ iuris ac iustitiæ discipline, vt non solum Academicis defunctum laboribus merito supremi exornent honores, sed vt publicis etiam admotus negotiis non habeas perhorrescere ad eorum magnitudinem aut grauitatem; quin potius ea recte promteque obire possis. Qua ex re iustissima, tibi tuisque ex animo gratulandi, mihi nascitur occasio: Deumque religiose precor, vt diu tu, diu Parentes & patria vberrimos laboris tui fructus capiatis. Vale, ac me amare perge.











anter deduxit B. LUDOVICI im Civil-  
s. 2. sqq. de causa debendi scribens in spe-  
, sub n. 3. Promisi, ex nota, textum  
sufficient verba: So erachten wir doch  
causa debendi exprimiret seyn muß) da  
auch jedes blosses pactum obligatorium  
in rationem, circa quam juris Canonici  
) zur Erhaltung Treue und Glauben, für  
wollen vielmehr, daß auch aus einem  
ento, darinnen keine causa debendi ent-  
executive geklaget, und Beklagter allen-  
exceptionibus in die reconvention, oder  
en Ausführung, verwiesen werden möge.

heilhafte Einreden, igitur morosorum;  
denotant tales exceptiones, qvibus vel  
onscientiam, intenditur mora, dilatio  
executionis evitatio, im Zeit-Gewinn;  
ea, vel in reconventione & condicione  
separato obtinetur scopus & finis.